

UM
RUM
E
EINZIA
UM



DIVITIARUM
EVANGELICARUM

Disquisitio LVI

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnasii Hallensis

Rectore

Respondente

JOHANNES PRÆTORIO

Gardelegiâ-Marchico.

Dominica XXV. post Trinitatis.

A. O. R. cl. lxx. iiii.



HALLIS SAXONUM

*Prelo Heredum Melchioris Oel-
schlegelij*

Monsieur Unfern

EVANGELICARUM
DIVITARUM

CHRISTIANO GUEINZIO

JOHANNES PRATORIO

Dominicus X. N. post Trinitatis

M. O. R. cl. lxx. iii.



HALLIS SAXONUM

Rechtshandlung Melchioris Oel

Melchior Oel





ANALYSIS

EVANGELII

DOMINICA XXV. POST
TRINITATIS.*Matth. 24. à v. 15. usq. ad 29.*

Προαίλιον.



*Non faciet Dominus ver-
bum, inquit Amosus c. 3, 7.
nisi revelaverit secretum suum
servis suis. Tanta nimirum bo-*

*nitatis est, ut imminencia pericula denunciet,
& medium declinandi pramonstret. Illustre
documentum utriusq. habetur in pericope Ev-
angelica.*

THESIS I.

*In qua incomparabile urbis excidiū,
ubi ejusdem annunciatio v. 15. Ubi par-
tim habetur continuatio: cūm ergò. Quia
fuit questio à discipulis Christo in monte oli-*

Ddd

veti

veti proposita, postquam audiverant templum illud, quod Herodes Ascalonita, sub quo Christus natus, edificaverat splendidissimum, per decem mille operarios octo annos continuos, uti habet Josephus l. 15. antiq. c. 14, ut inter septē miracula mundi fuerit numeratum, iri destructum; interrogant de signis ex quibus debeas conjici. Monet ergo, tunc futurum quum, ut sit non illativa particula, sed continuativa. Ut discam, ne apicem quidem in sacris literis frustra positum.

2. Et declaratio, partim in genere, ab effectu & objecto: videritis abominationē desolationis. Per quam quid intelligatur discrepantes sunt opiniones. Optima videtur Augustini, quæ est epist. 80. ad Hefych. quod sic Romanus exercitus, undiq; circumdans & desolans omnia, quia 1. Lucas expressè habet c. 21, 28. cum videritis circumdari ab exercitibus Hierosolymam, tunc scitote, quod appropinquarit desolatio; & quia 2. in Daniele expressè fit mentio cenaph, quæ dictio significat alas, hoc loco nō Cherubinas in templo, sed aquilarum Romanarum, quod longè lateq; dilatate, Esa. 8, 8. 3. quia constabat ex Idololatriis quæ abominatio, Act. 10, 28. 4. quia fuga fit mentio apud Mattheum, Marcum. 5. Josephus
idem

idē testatur & Hegeſip. l. 5. excidii urbis c. 32.
 Et quidem non excluduntur cetera ſigna, quia
 alia propinqua & politica, alia remota & ec-
 cleſiaſtica. Ut diſcamus, quæ ſunt abominabi-
 lia, ea ut plurimū etiam deſolationem ſecum
 trahere: potiffimū autem ſunt bella, quæ mo-
 dō experimur: neq; quicquam eſſe tam munitū
 & firmum humanis viribus elaboratum, quod
 non humanis eiq; viribus deſtrui poſſit, quoniā
 mortalia ſunt opera mortalium, Lact. lib. 7. de
 div. præmio, c. 10. & 11.

3. In ſpecie, per denotationem, ratio-
 ne teſtimonii ſeu cauſæ efficientis: quæ di-
 cta eſt à Daniele propheta. *Qui eam predi-
 xerat, cap. 9, 27. quem allegat, ne videatur ex
 odio talia dicere. Ut doceat prædictionum
 Propheticarum certitudinem, ſecundū Eſaiæ
 vaticinium, cap. 41, 22. Unde, inquit Auguſt.
 de civ. Dei c. 10. non credendum eſt illis lite-
 ris, quas plenas fabuloſis velut antiquitatibus
 proferre voluerunt aliqui contra autoritatem
 divinorum librorum, quæ totum orbem ſibi
 crediturum eſſe prædixit, & cui totus orbis, ſic-
 ut ab ea prædictū eſt, credidit: quæ vera ſenar-
 raſſe præterita ex his, quæ futura, præannun-
 ciavit, cum tanta veritate implentur quæ oſtēdit.
 Dominus certè promiſſa non aufert, habet idē*

in exord. enarrat. super Psalm. 39. sed differre. Exhibebit, profectò exhibebit, quia multa jam exhibuit, & nihil de Dei veritate formidare debemus, etiamsi nihil adhuc exhiberet. Et tamen venient illa sive volentibus, sive nolentibus, sive credentibus, quia oportet impleri omnia, Luc. 24, 44.

4. Et à loco : stantem in loco sancto. Nempè per synech super totam Hierosolymam. Etenim sancta civitas, Matth. 4, 5. & locus sanctus & templum Dei, mens hominis existit, in qua Dæmones per cogitationes affectibus plenas animâ desolatâ peccati molem erigunt, habet Maximus confessor de charitate cent. 2. sent. 31. Atqui cor mundum esse debet ab omni abominatione, ut sit camera omnipotentis Regis.

5. Et adhortatio : qui legit intelligat. Id est, animadvertat. Quæ addita est clausula, tum propter nos : ut Scripturam scrutemur, Joh. 5, 9. utq; insistamus lectioni, 1 Tim. 4, 13. ut attendamus, 2. Petr. 1, 19. Coelestium enim Scripturarum eloquia diu terere ac polire debemus, habet Ambrosius l. 2. c. 6. de Cain & Abel. toto animo ac corde versantes, ut succus ille spiritualis cibi, in omnes se venas animæ diffundat. Et debet, qui legit diligens esse & intelli-

intelligere, ut nō seducatur à desolationis abomi-
natione, habet Orig hom. 29. in Matth. Qui
enim intelligit non seducitur ut credat falsa
pro veris, ait Ambros. l. 10. in Luc. c. 21.

6. Et remedium, tum temporale, in
genere politicum positivè, & est fugæ ca-
ptatio v. 16. In quo atrocitatem circa deso-
lationem describit, partim per determina-
tionem: Tunc. Cùm armati hostium exerci-
tus omnia repleverint, ubi nullum aliud erit
remedium quàm fugat. Ut agnoscam⁹ Christi
gratiam qui nunquam vult nos esse sine auxi-
lio & consilio, etiam tunc quando abominanda
sunt.

7. Et per rationem quoad terminum à
quo, respectu subjecti: qui in Judæa sunt.
Hoc est, Judæi non tantùm ipsi, verùm etiam
peregrini in Judæa, dum potissimum Hieroso-
lymam illa desolatio concernit. Per Judæã au-
tem Judaica pravitas intelligitur & incredu-
litas. Ut discamus hæc fugere, nisi velimus cum
Judæa perire.

8. Et quoad terminum ad quem, re-
spectu prædicati: fugiant in montes. Per
quos synecd. intelligit loca montana ac desertã,
quæ hostis accedere non potest; ut inter feras
lateant, quib⁹ inter homines nullus erit latendi

D d d 2 locus,



§ 44
locus, art ordin. Et monet Euseb. 1. 3. hist. Eccl.
c. 5. quòd in oppidum Pellam, trans Iordanem
situm, multi fugerint & servati sint. Ut disca-
mus fugere licitum esse in publicis calamitati-
bus, uti fugit & Iacob, Gen. 27. 43. Moses, Ex-
od. 2. 15. Loth, Gen. 19. 2. Paulus, Act. 9. 25.
Quin fugit & ipse, qui hoc iussit, Doming, Mat.
12. 15. Fecit hoc iste magister bonus, ut doceret
non quòd timeret, sed quòd incideret tempus,
quo liceret fugere: ita tamen, ut fiat citra lesio-
nem honoris Dei & propriae conscientiae, citra
desertionem officii & charitatis. Faciant ergò
ministri Christi quòd praecepit & permisit, ha-
bet August. epist. 180. ad Honorat. Fugiant
omnino de civitate in civitatem, quando eorū
quisquam specialiter à persecutoribus quari-
tur, ut ab aliis, qui ita non requiruntur, non
deseratur Ecclesia. Cùm autem omnium Epi-
scoporum & Clericorum est commune pericu-
lum, ii, qui aliis indigent, nō deserantur ab his,
quibus indigent. Aut igitur ad loca munita
omnes transeant, aut qui habet remanendi ne-
cessitatem, non relinquuntur ab iis, per quos il-
lorum est Ecclesiastica supplenda necessitas, ut
aut pariter vivant, aut pariter sufferant quòd
eos paterfamilias volet perpeti. Si verò de civi-
tate depellunt & fugant, habet Nazian. in ser.
de se-

de seipso. nunquid de cœlesti urbe Hierusalē, quæ est mater omnium nostrorum, depellere vel fugare nos poterunt? Fugiendum ad montes, ad montes spirituales, ad montem Sinai ut peccatum ex lege agnoscamus; ad montem Sion ut Evangelii doctrinam audiamus; ad montē Olearū ut sudore Christi sanguineo abluamur; ad montem Pisga ut beneficiorum novissimorum semper recordemur; ad montem Thabor ut Christi adventum expectemus. Hæc autem sunt illa montana, quæ nos ad cœlestia vocant, Psal. 121, 1.

9. Et negativè quoad œconomica, à celeritate per distributionem respectu artificialium; est in tecto commorandi duratio v. 17. in quo subjectum respectu loci: qui in tecto. Hoc est in domo sua: tecta enim erant in Iudæa plana, ut in iis ambulare potuerint, Deut. 22, 8. Jud. 16. 27. per quod omnia domestica intelliguntur.

10. Et prædicatum in genere, quoad modum; non descendat. Sed statim fugā arripiat, propter hostium irruentiū præsentiam.

11. Et quoad scopum: ut quicquam tollet. Id est, ut inferius in domo bona sua convalescet & secum auferat. Congruentius quod posset intelligi, ait Aug. ep. 80. spiritualiter, quod in

tribulationibus omnibus est cavendum, ne quis de sublimitate spirituali descendat, aut qui profuerat, in anteriora se extendens, devictus ad carnalem vitam, deficiendo in posteriora respiciat. Bonorum enim iactura, fuga tempore non sunt curanda, modo vita eripiatur, Jer. 29, 38. Unde Lothi uxor domum respiciens interit, cuius meminisse nos iubet Dominus, Luc. 17, 32.

12. Et quoad naturalia, de agro ne sit remeatio v. 17. In quo iterum subiectum respectu loci: & qui in agro. Hoc est, in villis & praediis, qualia habebant Iudei ditiores, sive in eo, in quo absconditus est thesaurus, aut qualis fuit ager ille Iacobi plenus, ait Orig. hō. 29, in Mat.

13. Praedicatum respectu modi: non revertatur. Sed maneat. Non enim tantummodo qui reversus fuit ab aratro, non est aptus regno Dei, sed etiam qui in agro est, quem tradidimus, & reversus fuit retrò, (causam eorum que oportuerat oblivisci) sine dubio incurret in abominationem desolationis, inquit Orig.

14. Respectu scopi: ut tollat vestes suas. Tanquam iterum in volucris, quibus erat exsusus, habet Aug. l. 2. Evangelist. c. 77. Nec alteram tunicam, quam Apostoli habere prohibentur, Hieron, in Mat. l. 4. sed magis in agro spirituali.

rituali seruat ut fructus capiat. Potius feramus,
modo vita suppetat, direptionem facultatū nō-
strarū cum gaudio, scientes, nos potiorē habere
substantiā in caelis, quae permanet, Ebr. 10, 34.

15. In specie est mulieris praegnantium
& infantium declaratio v. 19. In quo ampli-
ficat eandem calamitatem, collatione im-
parium, partim internè per cordolium: V. a.
Quod hoc loco nō est execrantis, sed condolen-
tis; non est condemnationis, sed cōmiserationis.

16. Et in specie, quoad objectum: Prae-
gnantibus & lactantibus. Quia ipsae vel uterū
ferunt, vel infantes ab uberibus dependentes
gerunt. Non quasi maledictum sit conjugium,
cū ipse instituere & benedixerit, Gen. 1, 28.
cūq; sterilitas sit maledicta, Job. 18, 19. sed
quia filiorum impedimenta testatur, ait Ter-
tull. l. 1. ad uxorem c. 5. & quia sarcina gra-
uata fugere non poterunt, habet Hieronym.
c. 24. in Matth.

17. Et respectu terminis: in diebus illis.
Quemadmodū Dominus Jer 16, 2. dicit: Pro-
pter imminens bellum, ne ducas uxorem, non
quòd peccatū sit, sed quòd calamitosis illis tem-
poribus non erat commodum. Et ita Christus,
Luc. 23, 29. beatae steriles, nimirum propter im-
minentes belli calamitates: afflictiones enim

Ddd 5

habeat

habent carnis, ejusmodi Paulus 1. Cor. 7, 28.
 Bona quidem sunt vincula nuptiarum, tamen
 sunt vincula. Interim placet illud Ambr. l. 3. de
 virgin. vincula sunt, sed vincula charitatis. Et
 quomodo potest ramus consistere, ait Athanas.
 in ser. contra omnes, si non subsistit radix?
 quomodo radix? quomodo virgo esse poterit,
 si non patrē & matrem habeat. Hæc verò inquit
 Ambr. l. 10. in Luc. c. 21. pregnantēs, quibus ve
 dicitur, quæ arvinam suæ carnis extendunt, &
 quibus intimorum gressus pigrescunt animorū
 effœta virtutum fœtæq; vitiorum. Sed nec illæ
 pregnantēs condemnationis exsortes sunt, quæ
 in bonorum actuum molimine constitutæ, nec
 dum aliquos suscepti operis dedere processus.
 Sunt & quæ de timore Dei concipiunt, sed non
 omnes pariunt: non omnes perfectæ, sunt, quæ
 in utero Christum habent, sed nondum forma-
 verunt. Est etiam quæ parturivit injustitiam,
 & peperit iniquitatem. Istis væ pregnantibus,
 quæ corpore graves ad evadendum periculum
 pigriores sunt; Istis væ, quibus futuri partus, quo
 corpus omne concutitur, dolor integer. His fu-
 turi signa iudicii initia sunt dolorum.

18. Tum remedium spirituale, quod
 est per informationem ad preces excitatio
 v. 20. In quo ab effectu, mandatum: orate
 autem.

autem. *Qua in persona Apostolorum ad Iuda-
os dixit. Apostoli enim jam egressi omnes erant
ex Hierusalem. Iudaeis igitur dicit ut precen-
tur, ait Theoph. in Matt. Atq; ita docet, quo-
modo calamitates publicae possint, si non plane
tolluntur, tamen mitigari. Sanè humilitatis nostrae
est deprecari, magnificentiae Dei est orari, uti
habet Hil. in Psal. 40. & preces justorum plus
valent quam arma, 2. Reg. 19, 17. Nch. 4, 4.*

19. Et postulatum à difficultate, respe-
ctu temporis generalis: ne fiat fuga vestra
hyeme. Propter 1. dierum brevitatem; propter
2. difficilem tempestatem, uti ait Chryl. hom.
77. At quomodo orandum; ne fiat fuga hyeme
quaerit Ambr. de fuga sec. c. 6. nisi forte, quia
is, qui in montes fugit. frigus & glaciem, procel-
las & grandinem delictorum timere non debet,
sed optare aetivae lucis serenitatem, ne lubrico
corporis vestigia infirma labantur.

20. Et specialis: neque sabbatho. Ob
religionem, eò quòd Iudaeis ultra mille passus
majores die sabbathi abire licitum non erat, te-
ste Hieronymo ad Algaham. Unde iter sab-
bathi dicitur, Act. 1, 12. quam consuetudinem
hic recitat, non tamen approbat Christus. Hoc
est, ab operibus otiantem, ne Dominus veniens
deprehendat, innuit. Et uti ad hyemem perti-
nent

nent cura huius vite, ita ad sabbathum crapula & ebrietas, ait August. l. 2. de cont. Evang. c. 77. Fugiat ergo nō quasi feriatuus in sabbatho, sed tanquam operarius in negotio. Fuga ergo hæc virtutum fœcunda, non effœta meritorum; fuga hæc nescit frigus timoris, tremorē mortis, contractionem socillitudinis, dissolutionis otii, lascivia ferias, torporem lentitudinis, sed vite cœlestis requirit impigrum viatorem, regni superioris competitorum strenuum, habet Ambr. de fuga seculi c. 6. Ita in hyeme fugit qui pœnitentiam in mortis horam differt; in sabbatho, qui in alteram vitam.

21. Et miteriæ ulterior amplificatio v. 21. In quo absolutè: & erit tunc afflictio magna. Quo nemini libeat vivere. Vivos omnes lamentatio, mortuos omnes gratulatio sequetur habet Lact. in epit. divin. instit. c. 11. Quantum enim accedunt dies, tantum augentur tribulationes: unde nemo sibi promittat, quod Evangelium non promittit, habet Aug. de verbo Dom. ser. 20. nunquam deerit adversitas. Opus itaq; ut animum non solum ad pœnitentiam, sed & ad patientiam preparemus.

22. Comparatè de præterito: qualis non fuit ab initio mundi ad hoc usq; tempus. Quanta autem fuerit, Joseph. testatur in hist.

651

hist. de bell. jud. ut omnis calamitates non possint conferri cum iis malis, quæ in Iudeos magno impetu ruerint: uti & Chrysol. ad hæc nos remittit, imò omnem orationem tragicam clades illas facile superare.

23. Respectu futuri: neq; fiet. Ne autem putemus exaggerationis cumulo hoc dictum esse, ait Chrysol. hom. 77. in Matth. venit super eos non castigatio corrigens, sed condemnatio eradicans. Et sicut illi tale facinus commiserunt, quale nullum unquam commissum est, nec committendum, etiam filium Dei occiderunt; Sic & super illos talis sententia venit, qualis nunquam venit, vel veniet. Ista enim omnia adhuc dum agunt de urbis excidio: 1. quia textus connexio hoc requirit, 2. objecti determinatio, 3. Hierosolymæ determinatio, 4. tribulationis conditio, Chrysol. Orig. t. 29. in Mat. Aug. ep. 70. ad Hesyech. Euseb. l. 3. hist. Eccl. c. 7.

24. Et per consolationem, ubi erit maiorū decurtatio v. 22. In quo positio, cujus conditio: & nisi decurtati fuissent dies illi. Hoc est, nisi Romanum bellum Deus dissolvisset: id quod factum ex mera misericordia, uti solet. Sic Pharaonem prostravit, Exod. 14, 28. Heliodorum, 2. Mac. 3, 23. Herodem, Act. 12, 23. Breve igitur tempus belli per quinque menses integros tantum duravit.

25. Tum

25. Tūm consecutio: non fieret salvā
 omnis caro. *Hoc est, non superstes maneret de
 illa vastatione unus Iudeus, ut ait Theoph.
 in Marc. c. 13. ut idem sit quod non conserva-
 ra esset secundū Hebraismum. Ut discamus
 Deum voluisse gentem tamen adhuc servare,
 & in speculū irā, & in testimoniū misericordiā.*

26. Et correctio à causa efficiente, ef-
 fectum hoc noxium inhibente: sed propter
 electos decurtabuntur dies illi. *In populo lu-
 daico. Ideoq; nō permisit omnes simul occidi: si-
 quidem Deus promptior ad liberandos bonos,
 quā ad perdendos malos, ait Chrysof. hom.
 49. in Matth. operis imperf. Electos ergo fide-
 les nominavit, qui in medio Iudeorum interce-
 pti erant. Nam ne dicant Iudaei, haec mala pro-
 pter predicationem & adorationem Christi sibi
 accidisse, non solum non fuisse causam malorū
 fideles ostendit: verū etiam nisi fideles fuis-
 sent, interemptione universos necatos fuisse as-
 serit. Tanta providentia est de fidelibus, ut
 propter eos alii quoq; salventur, & Iudeorum
 reliquiae propter Christianos supersint, habet
 Chrysof. hom. 27. in Matth. Donec ergo pa-
 terna pollicitatio compleatur, & Ecclesiae ex di-
 versis nationibus crescant, atq; tota gentiū ple-
 nitudo introeat, & tunc demum omnis Israel
 sal-*

salvetur, dies producitur, differitur occasus: nos tamen dum diem habemus, & producitur spacium lucis, sicut in die honestè ambulemus, opera lucis operemur, habet Orig. hom. 12. super Sir. ut agnoscamus Dei misericordiam.

27. Partim de extremo iudicio præsa-
gium, ubi temporis descriptio, in specie est
falsa nominis Christi usurpatio v. 23. In quo
circumstantia, quoad tempus: Tunc. Uti
enim de excidio Iudaorum hætenus dixit, ita
modo de excidio mundi differit: quoniã disci-
puli duas quæstiones introduxerant: primam
de captivitate Ierusalem; & alteram de ad-
ventu Christi. Postquam de captivitate dixit,
& de suo adventu; dicere incipit de consumma-
tione seculi. Cùm autem dicit: tunc, non hoc
sibi vult, quòd statim post captam Hierosoly-
mam sed tempus illud declarat quod futurum
est. Ut id, quod dicitur, hunc sensum habeat:
Tunc, quo tempore venturus est Anti-Chri-
stus, ait Theoph. in Matth. Sic etiam, quando
dicitur, in diebus illis venit Iohannes, Matth.
3. 1. non immediatè consequens tempus, sed quæ
facta sunt, quæ dicturus erat, denotare voluit,
postquam primo de nativitate Iesu, & Mago-
rum adventu, & Herodis interitu differuit,
statim, in illis diebus subjunxit: atqui triginta
ferè

ferè annorum spatium interfuit, ait Chrysoft.
hom. 77. in Matth.

28. Et eventus, in genere: si quis vobis
dixerit. Conditionem ponit, secundum quam
tempus extremi iudicii observari debet. Non
autem habet ego dico, neq; Dominus dicit, sed
si quis, alius nempe, dixerit. Ut discamus solū
Deum esse audiendum, non alios: aut si ? sunt
probandi.

29. In specie quoad antecedens à sub-
jecto: ecce hic est Christus, aut illic. Est pro-
sopopœia, quam Theophyl. ita circumscribit:
si venerint, dicentes: Christus venit, sed solitu-
dine est occultus: vel alibi Orig. hom. 29. in
Matth. dicent qui seducere voluerint vos, &
defendere veritati contraria: Ecce hic Chri-
stus, demonstrans verbi gratia hunc Evangelii
locum. Alterius autem erroris autor dicit: Ec-
ce hic est Christus! offerens ad exemplum al-
terum textum, qui videtur defendere menda-
cii illius verbum, quod proposuit vindicare.

30. Consequens, continet adhortatio-
nem: Nolite credere. Ut discamus, non omni
credendum esse spiritui, 1. Joh. 4. 1. Ex quo ta-
men loco malè concluditur ac si propterea non
sit præsens in cœna corpus Christi, aliud enim
est regnum Christi & adventus, qui erit visi-
bilis;

sibilis, aliud sacramentum, ubi invisibilis. Alias nec esset in medio suorum, uti promisi Matt. 28, 20. Joh. 14, 23. Sed, ait August. tract. 50. in Joh. habemus Christum in presenti per fidem, in presenti per signum, in presenti per baptismatis sacramentum, in presenti per altaris cibum & potum: Non enim recessit presentia majestatis.

31. Et miraculorum inanis ostentatio v. 24. in quo eventus, continens signa, de quibus distinctim à titulo: Surgent enim Pseudochristi. Qui se vel pro ipso Messia venditarunt, ut Judas Galileus sub Augusto Act. 5, 36. uti Theudas sub Cuspido Fado post Christum 47. Act. 21, 38. Et quales plurimi alias multi fuerunt, quos recenset Gerf. in Thalm. part. 2. c. 9.

32. Et Pseudoprophetae. Id est falsi doctores, qui extra Christum alias salutis vias monstrant Act. 20, 30. semper autem tales reperti fuerunt & reperiuntur.

33. Coniunctim ab effectu: Et dabunt signa magna & prodigia. Siquidem etiam illi signa & prodigia facere possunt, uti predictum est Deut. 13, 1. Et repetitum ab Apostolo 2. Thessal. 2, 9. Quid dicent ergo qui fidem stupraverint adulterio heretico, quod ait Tertull. de praescriptione c. 4. Virginem traditam à Christo? Ut discamus non omnibus miraculis & signis esse credendum.

Eee

34. Et

34. Et effectus à fine simpliciter; ita ut in errorem inducantur etiam electi. Ut alios sectentur & sequantur. Spiritus enim insinceri posteaquam simplicitatem substantia sua onusti & immersi vitiis perdididerunt, ad solatium calamitatis suae non desinunt perditum iam perdere, & depravati errorem pravitatis infundere, & alienati à Deo inductis pravis religionibus segregare, habet Minutius in Octavio. Ut discamus magnas esse tentationes electis sustinendas in religione.

35. Conditionaliter; si fieri potest. Quia quidem non simpliciter impossibile, Cum legamus Aaronem incidisse in idololatriam Exod. 32. 21. Davidem in adulterium & homicidium 2. Sam. 12, 9. Psal. 51, 12. Petrum in abnegationem Matth. 26, 74.) excidere gratia Dei; sed ex hypothese, non possunt seduci: nimirum si perseverent ad finem & maneat in sermone Dei Joh. 8, 31. Quem si contemnunt seducuntur 2. Tim. 2, 18. Joh. 25. nemo enim predestinatorum cum Diabolo peribit, quia nemo neque ad naturam sub Diaboli potestate erit, ait Gregor.

36. Et consolatio, quod fit futura Christi acceleratio v. 27. In quo *regis*, cuius terminus à quo per comparationem similitudinis explicata à fulgure. Sicut enim
nim

nim fulgur exit ab oriente. *Id quod fit celerissime; non enim indiget pracone aut nuncio, sed in momento temporum contingit, & uno momento totum coelum illustrat, summa celeritate, ait Chrysoft. hom. 77. in Matth.*

37. Et terminus ad quem: Et apparet usque in occidentem. *Dum oculis quasi ictu totum mundum replere videtur, non per tractum temporis, uti voluit Empedocles, sed subito.*

38. *Ἀπίδοσις.* Ita erit & adventus filii hominis. *Venientis ad iudicium vivorum ac mortuorum. Vnde secundus adventus Salvatoris non in humilitate ut prior, sed in gloria demonstrandus est. Stultum est itaque eum in parvo loco, vel in abscondito quaerere, qui totius mundi lumen sit habet Hieron. in Matth. Et sicut fulgur toto lumen suum diffundit in orbe sic & filius hominis, ait Ambr. in Ps. 43. cum sanctis Angelis veniens illuminabit hunc mundum. Ut discamus Christi reditum esse *παρσίαν & Ἰνιφάσειαν, ut Apostolus Paulus ita eam describit; non quod antea non adsit sed quod antea non apparuerit, nisi quando voluerit.**

39. Et fidelium ad Christum congregatio v. 28. in qua elegans comparatio similitum allegorica in proverbiali sententia,

respectu Christi quoad antecedens: Ubique enim fuerit cadaver. *Intelligitur Christus agnus Dei in victimam pro nobis mactat9, uti habet Chrysoft. hom. 24. 1. Cor. 10. Domini corpus cadaver dicitur propter mortem ipsius, nisi enim ille cecidisset, nos non surrexissimus. Et Hieron. l. 4. in Matth. c. 24. possumus per corpus id est πῶμα q. significantius latinè dicitur cadaver, ab eo quod per mortem cadat, passionem Christi intelligere, ad quam provocamur. Vti & ita Ambr. l. de Sacram. c. 3. & Augustin. l. 1. quæst. Evang. c. 42. intelligit. Ut discamus ipsius stupendam humilitatem, ut qui nobis factus Ascham Es. 53, 12 vermis cadaverosus Pl. 22, 7. & quia etiam in se recepit peccatorum nostrorum graveolentiam. Pl. 38, 6. Interim cadaver non est, sed dicitur, h. e. cadaveri comparatur, & non mansit cadaver, sed potius alios & se vivificavit, habet Athan. in passione Salvatoris.*

40. Respectu credentium consequens: illic congregabuntur & aquilæ. *Hac est fides Christiani & electi: siquidem de exemplo naturali quod quotidie cernimus, habet Hieron. l. 4. in c. 24. Matth. Christi instituuntur sacramenta. Aquile autem transmare dicuntur sentire cadavera & ad escam huiusmodi congregari. Si ergo irrationales volucres natura-*

tura-

turali sensu tantis terrarum spatiis & maris fluctibus separata parvum cadaver sentiunt, ubi jaceat: quanto magis nos & omnis multitudo credentiū debet festinare ad eum cuius fulgur ab oriente. Iustorū verò anima equilis cōparentur, quod alta petant, humilia derelinquat, longevāq; ducere ferantur etatem. Alias sic ut aquila nobilissima aves sunt, habet Plin. 9 l. 10. c. 6. & Aristot. de natura animal. c. 32. ita Christiani nobilissime creatura. Aquilis est optimus cibus cadaver, Christianis corp9, uti explicat & applicat Chrysostr. hom. 24. ad Cor. Aquile habent clarissimos oculos Job. 28. 7. Christiani intuentur solem justitiae, Christum Malach. 4. 2. Aquila superant volatu omnes aves, Christiani in nubibus rapiuntur in occursum Domini 1. Thes. 4. 17. Aquila in supernis nidificat, Christiani superna tantū querunt. Eph. 3. 5. Ergo ne evadam9 mancipia. neq; porcis efficiamur similes, sed ut germani filij lucis intueamur lucem & sursum aspiciamus, ne nos esse adulterinos deprehendat Dominus, quē admodū sol aquilas, habet Clemens Alexand. in Protreptico ad gentes.

NOTA.

1. CUM videritis abominationem)
Cōsidera signa esse observanda, et i-

*am in eventibus ; ut discas attendere
nec omnia talia contemnere.*

2. **B**reviabuntur dies illi) Considera
*miserias & calamitates, hic in aeternū
non duratura; ut discas patientius tole-
rare tales.*

3. **S**icut fulgur ab oriente) Considera
*subitum & inopinum adventū filii ho-
minis; ut discas vigilare & expectare.*

C A S U S.

An Clericis matrimonium licitum?

Non videtur. Quia dicit Christ 9. Væ
prægnantibus & lactantibus Matt.
24, 18. per consequens matrimonium ha-
bet execrationem. Per quodcunq; igitur
execratio attrahitur, illud non licitum.

2. Jura videntur improbare in Auth.
multo magis. C. de Episc. & Cler. No-
vell. de monachis c. si quis 8. Novel.
de nupt. 22. c. sed & si quis 42. Adeò si
cōtrahant nuptias dicatur inordinata stu-
pratio, liberiq; illegitimi suscessionis jure
indigni l. sacris 4. 5. C. de Episc. & Cler.

3. Jus Canonicum prohibet c. presby-
teris

teris 27. dist. c. ipsam X. De Cleric. conjug. c. si quis 28. & 29. dist.

4. Conjuges magna incontinentia sunt involuti. c. proposuisti d. 82. Clerici autem continentes esse debent & Deo servire: bonum mulierem non tangere.

Sed videtur 1. Quia Deus instituit conjugium Gen. 1, 28. Ps. 113, 9. pro omnibus non continentibus. 1. Cor. 7, 2, 9.

2. Est sanctum & honorabile, nullis ordinibus illicitum Levit. 20. Hebr.

3. Episcopus debet esse unius uxoris vir 1. Tim. 3, 2. Tit. 1, 6. habent potestatem in sororem & mulierem.

4. Est juris naturalis l. 1. ff. de i. i. quod immutabile §. natur. l. de N. G. & civili.

5. Ex jure Canonico August. in c. quidam 27. dist. in c. nuptiarum 27. q. 1. & c. quoniã 31. dist. & c. Nicena ib. c. Episcopus q. filios 12. q. 2. integritas 32. q. 1.

Ad Contraria 1. Fall. causa. Non est va exsecrantis, sed denunciantis malum, illo tempore propter calamitatem corporalem. Non est condemnationis, sed commiserationis. Unde Tertul. l. 1, 1, ad uxorem

c.1. *Cur vae Dominus & nutrientibus cecinit? nisi quia filiorum impedimenta testantur in illa die expeditionis incommodum futura: & Hieronym. quia sarcina gravata fugere non poterunt, in hoc caput. August. serm. 20. de V. Domini, nō de mulieribus legitimos viros habentes.*

Ad secundum. Ille Authenticae desumptae ex Novellis, quae non simpliciter probantur, quum & ab ipso Imperatore Leone in Novell. 2. sint abrogatae.

Ad 3. petit. princ. quum antiquiora capitula & canones contrarium doceant.

Ad antiquiores, qui plus autoritatis habent & pietatis sunt sequendi c. sana. dist. 9, & c. domino Sancto 50. dist. etiam in Comitibus Spirens. 15. 90. constitutum ut nullum poenam sustinere debeat, nisi ut fiant Laici. Videatur Kūhornius Conf. 5. diversorum consiliorum Francofurt. editorum 1601. Et Monerus in explicat quæst. an Sacerdotibus licitum matrimonium.

Ad 4. Fall. accid. In quibusdam, non in omnibus. Et tamen est conjugium remedium 1. Corinth 7.

PRætor erit tandē, vox & prætoris summæ
Ultima iudicii quando futura dies.

Omne videre licet quum desolarier, horror

Stat sancto, notetis, qui legit ista, lose.

Tunc in Iudæa quisquis versabitur oris

Se trans montanos conferat ipse locos.

Heret at in tectis quisquis, discedat ab illis

Nequaquam, quicquā tollat ut inde domo.

Ac in agro fuerit si quis, non inde remigret,

Ut vestes domibus tollat & ipse suas.

Tunc at va quæcunq; gravem fert pondere
ventrem,

Proli præbet adhuc ubera quæq; sua.

Orandum vobis hyemis ne tempore fiat,

Nec quum festa dies, quā capienda fuga:

Talis erit quia tunc afflictio, qualis in orbe

Nulla prius, nec erit talis in orbe, fuit.

Et nisi decurtarentur tunc tempora, nullus

Salvus: ob electos est brevianda dies.

Quod si quis vobis tunc dixerit: Ecce vel hic,
vel

Illic Christus adest: credere nolle velis.

Nam falsi surgent vates, qui signa daturi,

Si potis, electus falsus ut esse queat.

Predixi, vobis si dixerit: Ecce penetra,

Hunc vel eremus habet, credere nolle velis.

Transit ad occasum ceu fulgur Eois ab ortu,

Sic hominis veniet Filius ille Dei.

Nam

Nam fuerit volucres pascens ubicunq; cada-
Illic tunc aquila protinus esse solent. (ver,
Hic, illic, clamant, & ubiq; per omnia Christus,
Sed vivunt quasi sit nullibi Christus ibi.
SCHULZIUS hac tractat. Pergat! prætoria
magni

Vox prætoris ei dicere grata cupit.

uti testatur

GUEINZIUS.

✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠

ANAGRAMMA.

JOHANNES PRÆTORIUS.
JESU PATRONE! SANIOR.

S Anior, ô Jesu! permagne Patrone, vocatur
Patronum qui te suscipit atq; colit.

Sanior est animus sano sub corpore sanè,

A summe sano dum regitur, tegitur.

Sanior & posthac PRÆTORIUS, ista re-
solvens,

Que salvam & sanam perficiunt animam.

Sanior ipse erit modo pergat, sit pia mensq;

Patronum Jesum sic retinere potest.

ita censet

Conradus Gewillettus

Calbens. March.

02 A 572
(1/2)

ULB Halle 3
003 808 483



1017


EVANG.

CHRIST.

HALL.

Q2.C





B.I.G.

Farbkarte #13

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------

IARUM
 LICARUM
 tio LVI
 SIDE
 GUEINZIO
 Hallensis
 tore
 dente
 PRÆTORIO
 Marchico.
 post Trinitatis.
 . Inc. III.
 XONUM
 Melchioris Oel-
 gely

Monsieur Unterz

